

44

Reuerendis. in Christo patri: Domino, Domino Antonio
 RESCIO FLANDRO ORDINIS PRAEDICAT. DOCTORI THEOLOGO,
 Episcopo Salonensi dignissimo, & reuerendis. illustrissimiq; Principis, D. Friderici à Vuirspurg
 Ecclesiae Herbipolensis Praesulis amplissimi Suffraganeo uigilantissimo, Domino ac Mœcenati
 suo obseruandissimo.



Isi Catholicae ueritatis ea uis est, Praesul dignissime, ut contra omnium haereticorum machinas ac fraudes facile se per seipsam defendat, tamen quia minus peritis plerumq; falsitas ueritatis specie ad tempus imponit, non existimaui instituto meo alienum esse, ueritatis patrocinium pro ingenij mei tenuitate suscipere. Huc accedit quod magistro de me optime merito gratum me acceptiq; beneficij memorem eadem opera praebiturus sim. Editus est sua prioribus diebus à Vuilhelmo quodam Bidenbachio Lutherano liber, contra Confessionem Augustinianam Dilingae non ita pridem editam, in quo pronuntiata plura, quae ex Augustini uerbis, à reuerendo Patre, Domino Hieronymo Torrensi Doctore Theologo & Praeceptore meo perpetua obseruantia colendo, collecta fuerant, reprehendit, atq; uerbis (ut ipse putat) diuinis, reuera tamen sensu Bidenbachico, coarguere nititur. Disputat ille contra pronuntiata nuda & solitaria, perinde ac si nusquam D. Augustini uerbis confirmata fuissent, & quia ipsius Augustini, Patrum & legitimarum Synodorum sententijs, se damnatum agnoscit, ad solas prouocat scripturas, hoc est ad suum iudicium, quo illas pro suo arbitratu perperam & inepte interpretatur. Cum igitur cernerem uniuersa ab eo reprehensa pronuntiata Catholicae doctrinae consentanea esse, & quae contra illa asseruntur à ueritatis tramite multum exorbitare, libenter in me hanc prouintiam suscepi, & pronuntiata illa, quae ipse reprehendit, tanquam Theses ad disputandum propositas defendere constitui: tum ne Magistro meo apud minus peritos, aliquam ignominiae notam inuri paterer, tum ut ueritati Catholicae pro uiribus & ingenio meo opem ferrem. Fuit quidem prouintia haec eò difficilior, quò plura, difficiliora, minusq; inter se connexa attinguntur argumenta, minusq; temporis in his meditandis ponere licuit, sed fretus bonitate cause, laborem hunc non refugiendum existimaui. Tuae uero dignissime Praesul Paternitati hasce Theses nuncupare uolui, quod intelligam te ab ineunte aetate his studijs maxime deditum & oblectatum fuisse. Christus Iesus summus Ecclesiae Pastor, P. T. R. nobis & Ecclesiae suae diu incolumem seruet. Ingolstadtij, 1569. Idibus Martij.

T. R. P.

Sacellanus.

Ioachimus Typotius Diestensis Brabantus,
 Artium Magister & S. S. Theologiae
 Baccalaur. formatus.

- E**cclēsiā uerā & Catholicā, uisibilem & manifestā esse.
 II. Ecclesiam non errare: neq; suos in errorem inducere.
 III. Scripturas sacras obscuras esse.
 IIII. Veram scripturarum interpretationem, ut etiam difficultum de fide & religione quaestionū decisionem, ex Ecclesiae consensione & traditione petendam esse.
 V. Multa nobis credenda esse, licet in sacris literis expressè scripta non sint.
 VI. Multa ab Apostolis facta, multa etiam Christiano esse seruanda, quae tamen scripta non sunt.
 VII. Petrum primum fuisse & caput Apostolorum,
 VIII. Petrum esse fundamentum Ecclesiae.
 IX. Petrum Romae fuisse, ibiq; martyrio coronatum.
 X. Petrum Romanū Pontificem fuisse, & sedem Romanam, sedem Petri uocari.
 XI. Penes Romanam sedem esse primatum & auctoritatem summam Ecclesiae.
 XII. A Romana sede de doctrina catholica iudicium ferri, haereses damnari.
 XIII. Ab Ecclesiae Doctoribus petendam esse scripturae interpretationem.
 XIII. Antiquos Patres incorruptos esse Iudices in controuersijs posteriorum.
 XV. Christiani esse populi, sanctorum Patrum sequi auctoritatem.
 XVI. Peccatum originis non esse concupiscentiam, uel habere concupiscentiam quae sunt poenae & effectus peccati.
 XVII. Concupiscentiam in reatu, malum quidem, sed non peccatum esse.
 XVIII. Concupiscentiam, quae à Paulo dicitur malum inhabitans, Lex aemulorum, uel carnis, Lex peccati, uel peccatum, non propriè peccatum esse, & reos generatos reos non facere.
 XIX. Primos concupiscentiae motus, quibus non praebetur assensus, peccata non esse.
 XX. Peccato primi hominis liberum arbitrium non fuisse sublatum, sed infirmatum, attenuatum & deprauatum.
 XXI. Non omnes infidelium actiones, & Philosophorum virtutes, esse peccata.
 XXII. Hominem suo libero arbitrio ad propriam iustificationē Deo cooperari.
 XXIII. Sola fide neminem iustificari, sed praeterea requiri poenitentiam, spem atq; charitatem.
 XXIII. Hominem iustitia inhærente, non imputatiua, neq; sola remissione peccatorum iustificari.
 XXV. In iustificatione prorsus auferrī peccata mortalia, nec ita manere, ut qui iustificatur, partim iustus sit, partim iniustus.
 XXVI. Iustificationis gratiam non aequalem omnibus, sed alijs maiorem, alijs minorem dari, iuxta diuersam hominum dispositionem.
 XXVII. Iustificationis gratiam occultam esse, nec quemquam certo scire ac statuere debere, remissa sibi esse peccata, nisi Deo id reuelante.
 XXVIII. Neminē de sua perseverantia, sine reuelatione diuina, certi aliquid sibi polliceri debere.
 XXIX. Non solam infidelitatem esse peccatum damnabile.
 XXX. Euangelium esse legem nouam, & Testamentum nouum.
 XXXI. Praecepta Decalogi & morum ad nouum quoq; Testamentū pertinere.
 XXXII. Christum etiam Legislatorem esse.
 XXXIII. Fidem sine operibus homini ad salutem esse satis, Eunomianorum & aliorum errorem fuisse damnatum.
 XXXIII. Fide per charitatē operante, siue formata, ut uocant, nos filios esse Dei.
 XXXV. Et si nemo in hac uita sine peccato, non tamen iustos idcirco in omni opere peccare.
 XXXVI. Apud Haereticos & Schismaticos Sacramenta esse, non tamen sanctificare.
 XXXVII. Sacramenta signo crucis perfici.
 XXXVIII. Aquam Baptismi signo crucis consecrari solitam.
 XXXIX. Baptizatos uisibili unguentū seu Chrismate inungi.
 XL. Exorcismum & exufflationem baptizandis ex consensu Ecclesiae & Apostolica traditione adhiberi.
 XLI. Baptismum prodesse paruulo, quamuis aliena fide susceptum.
 XLII. Baptismum Ioannis a baptismo Christi esse diuersum.
 XLIII. Confirmationem, Ordinem, Poenitentiam, Matrimonium, Extremam unctionem, esse Sacramenta.
 XLIII. Christum secundum diuinam naturam esse ubiq; non tamen secundum humanam.
 XLV. Eucharistiam adorandam esse.
 XLVI. In Eucharistia substantiam panis & uini post consecrationem non remanere.
 XLVII. Sumptam esse a quibusdam Eucharistiam sub altera tantū specie, Augustini tempore, ex eius uerbis posse colligi.
 XLVIII. Errare negantes uisibile sacrificium Deo offerendum esse.

- XLIX. Sanctam Eucharistiam non solum confici & distribui sed etiam in ueteri Ecclesia offerri solitam esse.
 L. Sanctam Eucharistiam, Augustini sententia oblationem, sacrificium, uictiam mactatq; hostiam esse.
 LI. Sacrificium Missae a Melchisedech significatum, & a Malachia praedictum fuisse.
 LII. Sacrificium Missae a Christo institutum esse.
 LIII. Sacrificium Missae non solum esse gratiarum actionis, sed etiam pro peccatis propitiatorium.
 LIII. Pro morituris & mortuis Missae sacrificium recte offerri.
 LV. Hoc sacrificio Daemones fugari, quod priuatim etiam celebrabatur.
 LVI. In calice, uino miscendam esse aquam.
 LVII. Ordines septem esse.
 LVIII. In nouo testamento Sacerdotes esse, qui non Baptismo, aut sanctitate, sed electione & ordinatione fiant.
 LIX. Peccata cum circumstantijs necessarijs confitenda esse Sacerdoti.
 LX. Ad ueram poenitentiam spectare non solum nouam uitam, sed & pro peccatis praeteritis satisfactionem.
 LXI. Satisfactionem a sacerdote praescribi.
 LXII. Poenam non semper cum culpa remitti, uel remissio etiam peccato exigi.
 LXIII. Matrimonium sola morte dissolui.
 LXIII. Si separentur coniuges propter fornicationem, neutri licere, quam diu alter sit superstes, alteri matrimonio iungi.
 LXV. Animarum post mortem uaria esse loca.
 LXVI. Purgatorium ignem uel temporaneas poenas multis post mortem superesse.
 LXVII. Igne purgatorio uenialia tantū peccata, & reliquias lethalium purgari.
 LXVIII. In generali iudicio praeter eos qui damnandi sunt ad Gehennā, & eos qui omnino purgati fuerint, futuros alios qui per ignem purgatorium salui fuerint.
 LXIX. Sacrificium altaris, preces, elemosinas, & oblationes uiuorum defunctis (quamuis non omnibus) prodesse.
 LXX. Defunctos meritis & intercessionem Sanctorum iuari, praesertim in quorum Basilicis sepulti sunt.
 LXXI. Preces nostras a Sanctis intelligi.
 LXXII. Preces & patrocinia Sanctorum nobis ad salutem commodare.
 LXXIII. Merita Sanctorum prodesse fidelibus.
 LXXIII. Sanctos honorandos, & suo modo adorandos esse.
 LXXV. Sanctos opem ferre suū patrocinium implorantibus, quamuis modus incertus nobis sit.
 LXXVI. Sanctos etiam suo modo inuocari posse.
 LXXVII. Ieiunantem de se poenas sumere, & Deum placare.
 LXXVII. Quadragesimam a Christo consecratam & (August. sententia) praecipuam esse.
 LXXIX. Per obseruationem quadragesimalis ieiunij bonos a malis, eiusdem sententia, discerni.
 LXXX. Etsi, omnis creatura bona sit, tamen propter obedientiam uel aliorum infirmitatem, ciborum delectum, & a carnibus abstinentiam recte obseruari.
 LXXXI. Bonam esse castitatem coniugum, meliorem uiduorum, optimam uero uirginum.
 LXXXII. Virginitati Deo sacrae aequare nuptias, haesim fuisse Iouiuiani.
 LXXXIII. Continentiam donum esse Dei, quod tamen cuiq; uolenti & petenti detur.
 LXXXIII. Continentiam rectè promitti ac uoueri Deo, illudq; uotum fideliter seruandum esse.
 LXXXV. Castitatem Deo uouere, consilij atq; supererogationis esse opus.
 LXXXVI. Castitatis Deo per uotū consecratae singularem esse praerogatiuam.
 LXXXVII. Voto castitatis obstrictos, si nubant, damnationem mereri, etiam Apostoli sententia.
 LXXXVIII. Monachatum exemplo & traditione Apostolorum confirmari.
 LXXXIX. Apostolos paupertatem ex uoto seruasse.
 XC. Augustinum fuisse monachum, & monachorum institutorem.
 XCI. Facultates suas relinquere propter Christum consilij esse Euangelici, & merito singularis.
 XCII. Monachos Apostatas esse damnandos.

Sub praesidio R. P. Hieronymi Torrensis Doctoris Theologi
 & Professoris ordinarij has Theses defendere conabitur
 Die Iouis proximo D. Ioachimus Typotius.
 Ex Officina Vucissenhorniana.

